



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

XII. Quibus neganda Communio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

Ecclesiæ non patitur, nisi grauis aliqua causa excusaret: neque pro tuo Sacrificio particulam consecres, æquè mos repugnat, & populus offenderetur, si in Missa particulam eleuares adorandam.

## N V M: XII.

*Quibus danda, aut neganda Communio.*

**A** Mentis à natiuitate, & pueros alios, necdum sufficienter instructos, arce ab hac mensâ: nam mos, particulas sacrarum Hostiarum remanentes distribuendi pueris, iam exoleuit; curandum tamen, vt pueri, si de vitâ periclitentur, instruuntur, & præcepto diuino satisfaciant. Omni- no fatui, etsi aliquando ratione vsi sunt, repelluntur, nisi in interuallo lucido deprehendantur, & modò credantur ad sumendam Eucharistiam dignè dispositi; neque periculum subsit irreuerentiæ. Semifatuos admittes, si petant, & vtcunq; instructi de mysterio huius

180 *Institutionum Pastoralium*  
Sacramenti, & ritè similiter dispositi  
videantur, saltem cùm vrget præce-  
ptum vel Ecclesiæ circa Pascha, aut  
Diuinum in mortis articulo.

A dæmone obsessis, nisi quid aliud  
obstet, cùm res postulabit, Eucharis-  
tiam imperties, itémque damnatis ad  
supplicium mortis: indecentia præ-  
caueri potest, si aliquot horis ante  
supplicium præuertas, & des ieiunio:  
si neque ista præuisa, aut prouisa sint,  
non video, quid magis illos ieiunium  
fractum impediat, quàm alios è mor-  
bo moribundos. Carnifices, Lictores,  
Leprâ, Cancro, alióque morbo conta-  
gioso, vel horrido infectos, malim vt  
priuatim communices, aut saltem è  
singulari vasculo ablutionem accipi-  
ant, ne aliis periculum, aut saltem  
horrorem, & stomachum moueant.

NVM: XIII.

*De arcendis publicis Peccatoribus.*

Si